



## **Dispvtationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Sect. 2. An futura libera præsciantur à Deo, vel præsciri possint certò, &  
infallibiliter in sua causa proxima, vel alia creata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](#)

effe Num præsupponere. Sicut quando vide-  
mus sociatem liberè ambulare: visio nostra  
non officit eius libertati, sed eius usum &  
ambulationem liberam præsupponit, & ra-  
tione subsequitur, merè speculatiæ ad il-  
lam se habendo. Non enim ideo Socrates  
ambulat, quia video ipsum ambulare: sed  
ideo video ipsum ambulare, quia liberè am-  
bulat. Tertio, tam Deo sufficere determina-  
tionem futuram causæ liberæ ad effectum  
liberum, & determinationem futuram eius-  
tem effectus, ut Deus ab æterno possit illam  
intueri: quam nobis & Angelis sufficiat de-  
terminatio præsens causæ & effectus liberæ,  
ut ipsum cognoscamus quando actu præ-  
sens est: & quam Deo ipse sufficit, ut eam vi-  
deat quando actu est. Deus enim non acci-  
pit à tempore ut aliquid de nouo cognoscat,  
vel sit habilis ad aliquid cognoscendum:  
sed ab æterno æquæ perfectæ & invariabil-  
iter cognoscit quicquid inquam cognoscit.  
Neque temporis successio hinc ut obiecta  
intelligibilia, sint ei magis proportionata:  
sed ab æterno tantum ei deseruunt, quan-  
tum in tempore. Solum enim illi deser-  
uunt, quatenus possunt terminare ipius  
cognitionem, & determinare purè obiectu-  
m: non autem concurrendo per modum  
principij scientiæ diuinæ. Perinde autem  
possunt terminare cognitionem diuinam &  
determinare purè obiectum, sive actu ex-  
stant, sive non. Quemadmodum faciunt  
futura tantum conditiones, quamvis nun-  
quam existant.

Obijcies primò: Veritas quæ non est, non  
est scibilis. Sed veritas futurorum non est  
antequam ipsa sint: Ergo non est scibilis. Mi-  
nor probatur, quia veritas illa obiectua nihil  
est aliud, quam ipsa futura, seu entitas rei fu-  
turæ. Sed illa entitas non est antequam actu  
sit res, qua dicitur esse futura.

Respondeo, Negando maiorem. Sufficit  
enim quod veritas obiectua sit futura, ad  
hoc ut possit sciri futura. Quemadmodum  
sufficit quod sit præterita, ut cognoscatur es-  
se præterita: & quod sit possibilis, ut cognos-  
catur tantum possibilis.

Simili modo respondendum est huic ob-  
jectioni: Quod non est determinatum in se-  
ipso, non potest sciri determinatum in seipso.  
Sed futura liberum nō dū est determina-  
tum in seipso. Ergo non potest sciri determina-  
tum in seipso. Distinguendum enim est in  
hunc modum. Quod non est determinatum  
de præsenti, non potest sciri determinatum ut  
determinatum de præsenti: Concedo. Quod  
non est determinatum de præsenti, sed erit  
aliquo tempore, non potest sciri determina-  
tum futurum pro illo tempo-  
re: Nego.

Obijcunt secundò Thomistæ: Si diuinæ  
præsentiali fundatur in ipsa præsentiali liberè  
futurorum, habet fundamentum contingens &  
fallibile: quia est contingens & fallibile,  
quod v.g. Persus sit ter Christum negaturus;  
& quicquid liberè futurum est, potest esse

&amp; non esse.

Respondeo negando sequelam. Est enim  
necessarium & infallibile esse futurum, id  
quod est futurum, ex suppositione quod sit  
futurum. Sicut est necessarium & infallibile  
esse id quod est, ex suppositione quod est: que  
enim potest simul esse & non esse. Dei  
autem præscientia supponit esse futurum id  
quod præsit esse futurum. Et quamvis anteceden-  
tia ad usum libertatis eiusdem de-  
terminationem, sit contingens id quod li-  
berè futurum est, possit esse & non es-  
se: consequenter tamen ex hypothesi quod  
sit futurum, non potest simul non esse  
futurum: alioquin possit simul esse & non  
esse, quod euidenter implicat contradic-  
tionem. Dei autem præscientia fundatur  
in tali hypothesi, quia nullum certius me-  
diū aut modus esse potest attingend' infalli-  
bile futura contingentia.

Eadem ve-  
ritas est fü-  
damēntum  
infallibile  
scienz  
diuina.

## S E C T I O I I.

*An futura libera presciantur à Deo, vel præsciri  
possint, certè & infallibiliter in sua causa  
proxima, vel alia creata?*

Sensus questionis est, an futura contingentia  
ex libertate creature, præsciantur, aut  
præsciri possint certè & infallibiliter in sua  
causa proxima vel remota, in actu  
primo sumpta, id est, natura prius quam  
voluntas se determinet liberè: non contendo  
ipsam determinationem in seipso, vel effec-  
tum liberè possum, vi libertatis se deter-  
minantis: sed cognoscendo vi ipsius causa  
libera, in actu primo sumpta, ad quid liberè  
se determinatura sit: vi, inquam, ipsius cau-  
sa vel solitarii sumptæ, verum omnibus  
adiunctis & conditionibus ad agendum præ-  
requisitis, quod est causam considerare in  
actu primo concreto.

Duo autem sunt genera actuum libero-  
rum. Quidam enim sunt immediate liberi: *Actus libe-*  
quia procedunt immediate à voluntate li-*ri duplices:*  
berè se determinante. Alij tantum mediate me-*Actus libe-*  
& remote: quorum proxima causa est ne-*ri duplices:*  
cessaria: & ab illa applicata, prodeunt necel-*Actus libe-*  
sarid: quia tamen causa illorum proxi-*ri duplices:*  
ma pendat à libertate, & ab illa applica-*Actus libe-*  
tur, sunt tamen remote & mediate liberi: *Actus libe-*  
quia sunt à causa libera remote concurrente, & applicatae causam proximam. Huius-*ri duplices:*  
modi sunt actus exterzi ambulandi, videndi,*Actus libe-*  
tangendi, & similes, qui præsentibus suffi-*ri duplices:*  
cient obiectis, & conditionibus omnibus  
ad agendum prærequisitis, prodeunt necel-*Actus libe-*  
sarid à potentia externis, tanquam à causis  
corum proximis & immediatis, & tanum  
pendent remote à libera voluntate, ut appli-*Actus libe-*  
cate potentias externas ad huiusmodi opera-*ri duplices:*  
tions. De hac secundo genere actuum  
non est dubium, quin cognosci possint in cau-*Actus libe-*  
sa proximâ complete sumpta cum omnibus  
*Actus libe-*

adjunctis & conditionibus ad agendum praerequisitis: inter quas conditiones una est quod nullum sit impedimentum: & inter adiuncta ex parte actus primi unum est applicatio potentiae executiva à voluntate, si est necessaria, & præparatio concursus diuinus necessarij ad operandum. Est enim necessarium & infallibiliter talem actum, seu effectum secuturum esse ex causa sese habente in actu primo: quare potest in illa, seu vi illius tanquam medijs cogniti, cognosci infallibiliter. Quotiescumq[ue] enim unum est conexum cum alio necessario & infallibiliter, potest vi illius cognosci certò & infallibiliter, modò ex parte cognitionis non desit virtus intelligendi huiusmodi connexionem.

**12.** Sed difficultas est de ipsa libera applicatione voluntatis. Ex. gr. utrum Eva tentata à serpente, & ad pomum edendum sollicitata, si libet oculos applicatura, ut videat id quod non licet ei concupiscere, & cuiusvisu induci potest ad male concupiscendum. Difficultas item est de actibus liberis primi generis, id est, immediate procedentibus à voluntate libere se determinante.

**Future libertas non possunt certò & infallibiliter praesciri in sua causa.**  
Scotus.  
Okam.  
Capreol.  
Caietan.

De quibus omnibus Respondeo negatiuē ad quæstiōnēm propositam, cum Scoto & Scotiis in 1. art. 38. Okamo, & aliis Nominalibus ibidem, Capreolo ad eandem distinct. qu. 1. art. 2. concl. 1. & in responsione ad primum, arguitum Durandi contra primam conclusionem: Caiet. ad art. 13. qu. 14. s. *Quod secundum*. Suarez, Vasquez, Ruis, Heres, Valenzia, Lessio, Granado, & aliis Scriptoribus nostra societatis, exceptis Molina & Zocano, locis infra citandis. Quibus accordant ex Recens. ibus, C. mel, Curiel, Díotalleuius, Mascarenias, Alexander Pefantius, Naugretius, & alijs.

**13.** Eadem esse apertam sententiam D. Thomæ manifestum est ex variis eius testimoniis. Nam qu. 14. art. 13. in quo ex professo sic de re dispensat, sic habet: *Cantagens aliquod dupliciter potest considerari: Vno modo in seipso, secundum quod iam actu est: Et sic non consideratur ut futurum, sed ut praesens: neque ut ad virumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum. Et proper hoc, sic infallibiliter subdi potest certa cognitione, utpote sensus visus: sicut cum video Socratem sedere. Alio modo potest considerari contingens quod est in causa sua: Et sic consideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita: Et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eius conjecturalem cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis: sed etiam prout unumquaque eorum est actu in seipso. Huc usque D. Thomas. In cuius verbis nota primò quod ait, *Quicunque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem.* Nota secundò particulā illā*

generali, *Quicunque*, Deum etiam comprehendendi. Tum quia D. Thomas nullū excipit eum etiam quia sermo illi est de ipsa Dei cognitione, & modo quo cognoscit certò & infallibiliter futura contingentia, de quo postea in fine corporis subiungit, ea cognosci à Deo infallibiliter in quantum subduntur diuino conspectui secundum suam præsentialitatem, quia eius intuitus fertur ab aeterno in omnia, prout sunt in sua præsentialitate, id est, prout sunt actu præsentia & existentia pro aliqua temporis differentia, ita qua coexistunt sive aeternitati. Nota tertio, rationēm quā D. Thomas id probat, esse generalē, & ad Deum pertinere. Nimis quia non est necessaria & infallibilis connexio causæ libera cum actu futuro contingenter, unde non potest cognosci in causa certò & infallibiliter: *Quia causa contingens, id est, libera, se habet ad opposita: & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni.* *A que id Sole claritas fieri ex testimonii sequentibus.* Idem enim S. Doctor in 1. dist. 38. qu. vii. art. 5. in corp. post medium, sic habet: *Quodam sunt causa qua se habent ad utrumque. Et in illis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem, vel determinationem.* Et ideo contingentia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt. Et in responso ad 6. argum. addit. scientiam Dei non respicere tenet contingentem, nisi prout est in suo actu actuali præsentialiter. Et paulo post, *Sicut dicitur Deus causam, & non vidisset immediatae effectus in suo esse; nunquam potuisse illum certò scire.* Pluribus superfedeo: quia nihil clarius dici potest. Similiter tamen habet quæst. 2. de veritate, art. 12. in cor. & ad 1. & qu. 2. & t. 10. cor. & ad 7. & lib. 1. contra Gentes cap. 66. & 67. & 1. par. quæst. 57. art. 3. C. & quæst. 86. art. 4. & 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. & quæst. 174. art. 1. C. & in lib. 1. de interpr. cap. vltimo, lect. 13. aliusque locis, propter quæst. in libro Fer. Ferg. in caput citat. libri 1. contra Gentes sic affirmat: *Vbi cunque D. Thomas de hac materia loquitur, pro ratione qua Deus cognoscit futura contingentia certitudiniter, assignat hanc, quia illa sunt aeternitatis præsentia, id est, quia secundum seipsum sunt aliquando præsentia & coexistentia aeternitatis diuina & propriæ quædāvidetur à Deo secundum realē & actualē p[ro] existētiā quā habent in suo tempore.*

Ratio præcipua ad idem probandum, est illa quā vitio S. Thomas qu. 14. art. 13. in corp. Caietan. ibid. s. *Quod secundum Capreol. in 1. dist. 38. qu. 1. art. 2. ad primum Durandi contra primam conclusionem, & alijs communiter. Quia scilicet effectus causa cognosci non potest, nisi secundum esse quod habet in illa. Atqui effectus contingentis in sua causa p[ro]xima, etiam completa in actu primo, & proxime disposita ad operandum cum omnibus prærequisitis, non habet esse certum & determinatum, sed indifferens, quia virtus causæ neque est ex se determinata, sed*

nata ad illum, neque exadiuntis aut conditionibus praequisitis determinatur ad agendum necessariò; adhuc enim est libera & potens agere, & non agere, ut libuerit. Ergo non potest talis effectus cognosci in tali causa cum certitudine infallibili. In causa, inquam, in actu primo sumpta, de qua quæstio est. Nam si lumarum in actu secundo cum determinatione libera, hoc ipsum est cognoscere operationem liberam in seipso, & per seipsum, de quo non dubitamus.

Confirmatur, quia ut vna veritas cognoscatur in alia, seu ex alia certò & infallibili, id est, ea cognitione cui imponibile sit subesse falsum: debet esse cum illa necessariò connexa, ita ut imponibile sit stare illam veritatem sive ista. Atqui veritas cause liberæ, in actu primo etiam completo sumpta, non habet talem connexionem cum veritate effectus contingentis: ergo &c. Maior est evidens: quia ut vna veritas cognoscatur in alia, seu ex alia, infallibili, debet habere connexionem infallibilem cum illa: non enim potest quidlibet ex quolibet cognoscendi, ut ipsi ex Angelo, aut homo ex vestorum flatu: sed tantum ex eo cuius cognitione & veritas est cum illo connexa, adeo ut si vnum sit verum, alterum quoque verum sit. Sine qua connexione intellectus non habet rationem sufficientem, quia determinatur ad illius assensum gerum & infallibilem, ut alterius veritatis quia potest stare sine ista. Atque hoc patet manifestè in discursu, in quo antecedens non determinat intellectum ad assensum certum conclusionis, nisi quia est ita connexum cum consequente, ut posita veritate antecedentis, consequens falsum esse non possit. Debatque intellectus hanc connexionem cognoscere, ut vi antecedentis determinetur ad assensum consequentis. In notitia autem vnius ex alio non discursiva, cuiusmodi, ex gr. est notitia fidei supernaturalis de rebus revelatis, idem omnino est necessarium. Nam ut certò assentiam rei revelatae propter revelationem diuinam, & veritatem infallibilem revelantis, oportet necessariò cognoscere certam & infallibilem connexionem rei revelatae, cum revelatione dicta: & relationis diuinæ, cum veritate infallibili Dei revelantis. Adeo ut in tali assertu tanta sit virtualiter & sequitur notitia connexionis vnius cum alio, quam in discursu est cognitio connexionis necessaria & consequens cum antecedente. Similiter, quando cognoscitur causa per effectum, aut effectus per causam, sive notitia discursiva, sive aliâ, non potest cognosci certò & infallibili, nisi sit conexa necessaria & infallibilis effectus cum tali causa, vel talis causa cum tali effectu.

Neg: etiā habent necessariam connexionem cum illa.  
Quomodo vero veritas cognoscenda in alia connexa?  
16. Minor vero, quod scilicet veritas causa liberæ, in actu primo etiam completo sumpta, non habeat necessariam & infallibilem connexionem cum veritate effectus contingentis, probatur: quia causa libera, in actu primo etiam completo sumpta, est potens ad

agendum, vel non agendum, ut libuerit, & indifferens ad virum libet; potestque ad tam effectum, vel ad eius oppositum se determinare. Ergo causa libera in actu primo completo sumpta, non habet necessariam connexionem cum tali eff. Et: potestque esse verum, quod causa libera sit completa in actu primo, absque eo quod verum sit tam effectum esse. Prima propositione est nota ex ipsa definitione cause liberæ, de qua alibi suo loco disputabitur. Consequentia vero manifesta est, quia illud non habet necessariam & infallibilem connexionem cum alio, quod potest esse illo. Probatur secundum inductionem, quia neque in voluntate, neque in intellectu, neque in aliquo eis inherente, aut quoque alio praecedente natura prius ipsam liberam voluntatis determinationem, est connexionem necessaria & infallibilis cum actu libero. Primum enim voluntas de se indifferens est ad huiusmodi actum. Secundum, iudicium praecedens liberam eius determinationem, non imponit illi necessitatem agendi, sive illud iudicium sit propositione simplex obiecti, sive imperium dictans voluntati agendum esse, sive iudicium artius, & proponens efficaciam suum obiectum. Nam illis presuppositis voluntas adhuc libera est, & potens agere & non agere. Neque enim libertas est formaliter in tali iudicio, aut in intellectu sed in eo quod voluntas, positus omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere & non agere. In quo dicitur à carnis necessarijs, quæ omnino non possunt non agere passim omnibus ad agendum prærequisitis, quæque naturæliter sunt determinatae ad agendum quoiescunque possunt agere. Tertio, habitus qui sunt in intellectu aut voluntate non impedit. Alii necessitatem agendi, ut experientia manifestum est. Sublunt enim nostræ libertati, & illis uictimur cum volumus, ut ait Aristoteles. Quartò, nihil quoque est aliud natura praecedens liberam determinationem, quod habeat necessariam & infallibilem connexionem cum illa. Si quid enim, maximè præmotio diuina, ut voluntas Thomista. Sed hoc est falsum: tum quia multi actus contingentes futuri, sunt mali, ad quos Deus non præmouet, alioquin esset author peccati: Neque etiam ex negatione sola præmotionis sequi potest necessariò actus malus, ut dicam paulo post. Tum etiam quia ad actus bonos non ita præmouet, quin voluntas possit resistere præmotioni, ut definit Trident. less. 6. cap. 5. & can. 4. & Consil. Senonem in decreto fidei 15. ubi ait, non esse talis Dei trahentis auxiliu cui resisti non possit. Tum denique quia si præmotione talis est, ut ea possit necessariò sequatur actus bonus, aut ea non possit necessariò sequi. Quatur actus malus, tollitur libertas, quæ omnibus positis ad agendum prærequisitis, & in actu primo completo, constituta, debet posse agere vel non agere ut libuerit. Hec omnia sunt clariora ex contrariarum opinionum refutatione.

concessio  
nem cum  
effectu.